

**LIBER PRIMUS SEU  
PARS PRIMA**

**DE PERSONIS**

**SECTIO I**

**DE CONFIRMATIONE**

## TITULUS I

### PROLEGOMENA

#### Caput I

#### DE MINISTRO, DE MATERIA, DE TEMPORE ET DE LOCO CONFIRMATIONIS

**44** MINISTER ordinarius confirmationis (in ecclesia latina) est solus episcopus (CIC 782 § 1), qui in sua dioecesi hoc sacramentum etiam extraneis legitime ministrat, nisi obstet expressa proprii eorum ordinarii prohibitio. CIC 783 § 1. In aliena dioecesi indiget licentia ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de propriis subditis quibus confirmationem privatim conferat. CIC 783 § 2.

Minister extraordinarius confirmationis est presbyter, cui, iure communi, vel peculiari Sedis Apostolicae indulto, ea facultas concessa sit. CIC 782 § 2.

Presbyteri, qui vi indulti apostolici confirmare possunt, stare debent conditionibus rescripto appositis; praeterea invalide confirmarent fideles alterius ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit. CIC 782 § 4.

Hac facultate ipso iure gaudent, praeter SRE cardinales, abbates vel praelati nullius, vicarii vel praefecti apostolici, qui tamen ea valide uti nequeunt nisi intra fines sui territorii et durante munere. CIC 782 § 3.

Apostolici administratores ex ordine sacerdotali nequeunt confirmare sine speciali indulto.

Indultum sacerdotibus qui locorum ordinarii non sint, ut sacramentum confirmationis administrent, una America meridionali excepta, rarius in dies conceditur. Quod cum conceditur sequentibus restringitur conditionibus: 1) Presbyteri sint, quantum fieri poterit, in aliqua ecclesiastica dignitate constituti, vel munere vicarii foranei fungantur. 2) Non sint simplices sacerdotes illis in locis commorantes, ubi sacramentum administrandum erit. AAS 1935, p. 13 et 14.

**44<sup>a</sup>** MATERIA. Confirmatio dari debet cum chrismate et "Nunquam licet sine eo confirmationem administrare". SCS, 14 septembris 1946, AAS, 1946, p. 354, RR, tit. III, cap. I, n. 3. Vide partem III, p. 592, notas 2, et 3.

**45** TEMPUS. Confirmatio quovis tempore conferri potest, maxime autem decet illud administrare in hebdomade Pentecosies. CIC 790. Non expedit fideles confirmare in Triduo sacro vel tempore officiorum poenitentialium seu defunctorum.

**46** LOCUS proprius Sacramenti Confirmationis est ecclesia vel oratorium saltem semipublicum, praesertim si agatur de solemniori vel de generali confirmatione. Tamen ex causa iusta et rationabili, ad arbitrium ministri, potest hoc sacramentum in quolibet alio loco decenti conferri. CIC 791. Si vero agatur de confirmatione plurimorum, iudex de proprietate loci est ordinarius et non episcopus extraneus.

Licet ex iuxta causa confirmare in oratoriis domesticis in quibus generatim missa tantum permittitur, ex eo quod licet in quocumque loco decenti id facere. CIC 1195 § 1.

Exoptare licet ut, saltem in maioribus cathedralibus, prope baptisterium vel ubi commodius, aedificetur, iuxta veterem Ecclesiae usum locus, qui *consignatorium* nuncupatur, sacramento confirmationis reservatus<sup>(1)</sup>. Ibi figuris illustretur doctrina Ecclesiae de missione Spiritus Sancti in anima christiani, omniaque disponantur pro confirmatione rite administranda. Certe ibidem fieri nequibunt confirmationes multorum, melius tamen Sacramentum administratur quando pauci confirmantur.

## Caput II

### DE SUBIECTO CONFIRMATIONIS

**47** Aquis baptismi non ablutus valide confirmari nequit: praeterea, ut quis licite et fructuose confirmetur, sit in statu gratiae constitutus, et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus (CIC 786), scilicet, pro suo captu, de natura, dignitate, effectibus ac dispositionibus, ad digne sacramentum huiusmodi recipiendum. Inst. SCS II, 7.

Quanquam hoc sacramentum non sit de necessitate mediæ ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant. CIC 787.

<sup>1</sup> Prope Baptisterium Lateranense oratorium exstabat Sanctae Crucis a Papa Hilario aedificatum; ibi, finito Baptismate, fideles sacramento Confirmationis statim roborabantur verbis *Signo te Signo Crucis*. Vide Grisar, *Roma alla fine del Mondo antico*, Romae 1908, Ed. 1<sup>ma</sup>, p. 335; 814; 816.

Iuxta veterem Ecclesiae usum confirmandi deberent esse ieiuni, idque optandum propterea ut in praesenti etiam servetur. Inst. SCS II, 7 (1).

**48** AETAS. Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire, ob iustas et graves causas, videatur. CIC 788.

Gravis causa fere semper adest in locis ubi *difficillima* est praesentia episcopi, et timetur utrum pueri possint postea confirmari necne. Inst. SCS. AAS 1935, p. 16.

Licet canon 788 praeceptive, et non directive tantum, exsequendus sit (AAS 1931, p. 353), tamen SCS proposito dubio "An consuetudo antiquissima in Hispania et alicubi vicens (America Meridionali) ministrandi sacramentum confirmationis infantibus ante usum rationis, servari possit", respondit die 27 Februarii 1932: *Affirmative*, et ad mentem. "Mens est ut, ubi sacramenti confirmationis administratio differri potest ad septimum circiter aetatis annum quin obstant graves et iustae causae, ad normam canonis 788, contrariam consuetudinem inducentes, fideles sedulo edocendi sunt de lege communi Ecclesiae latinae, praemissa sacrae confirmationis administrationi illa catechesis instructione, quae tantum iuvat ad animos puerorum excolendos et in doctrina catholica solidandos, prout experientia docet". AAS 1932, p. 271.

Aliis verbis, voluntas est Ecclesiae ut consuetudo, licet legitima, confirmandi pueros ante usum rationis, paulatim locum cedat communi legi de septimo vel circiter aetatis anno (\*).

**49** PRIMA COMMUNIO. Declaravit eadem Sacra Congregatio "oportunum esse et conformius naturae et effectibus sacramenti confirmationis, pueros ad sacram mensam prima vice non accedere nisi post receptum confirmationis sacramentum, quod est veluti complementum baptismatis, et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti. Sum. Theol. Pars III, q. 72, art. 2. Non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eandem

(1) Verba PR *Confirmandi deberent esse ieiuni* partem regulae maiorum tradunt secundum quam non solum confirmandi, sed etiam confirmans ieiuni esse deberent. Hodie hoc tantum fit, et laudabiliter, quando confirmatio confertur ab episcopo immediate ante missam suam et confirmatus intra missam sacram communionem accipit. Nostris diebus generatim fideles e dissitis locis in magno numero confirmantur tempore visitationis parociae, et fere impossibile erit ieiunium ministri vel confirmandorum exigere. Prudenter proinde codex de ieiunio servando ante confirmationem tacet, sed de eo loquitur novissima instructio SCS. ASS 1935, p. 11.

(2) Iuxta Galtier, Sancta Sedes positive non condemnavit consuetudinem in Belgio aliisque locis existentem, procrastinandi confirmationem usque ad decimum vel decimum secundum aetatis annum, quod tamen certe secundum Ecclesiae vota non est. Apud *Nouvelle Revue Théologique*, Louvain, 1933, p. 675.

mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt". AAS 1932, p. 271.

Reprobatur proinde consuetudo administrandi sacramentum confirmationis post primam communionem, quasi confirmatio esset complementum eucharistiae, cum sit potius praeparatio. Ait enim Leo XIII: "...sic confirmati adolescentuli ad capienda praecepta molliores fiunt, suscipiendaeque postmodum Eucharistiae aptiores". Epistola *Abrogata* ad Episc. Massili. Acta, vol. 17, p. 205.

### Caput III

#### DE PATRINIS ADHIBENDIS

**50** Ex vetustissimo Ecclesiae more, sicut in baptismo, ita etiam in confirmatione, adhibendus est pater, si haberi potest. CIC 793.

Pater unum tantum confirmandum, aut duos, praesentet, nisi aliud iusta de causa ministro videatur. Unus quoque pro singulis confirmandis sit pater. CIC 794 §§ 1 et 2.

Potest ex iusta causa pater unus pro pluribus confirmandis constitui, v. g. sex vel septem, non tamen unus pro multis vel pro omnibus. S. C. Concilii 12-VII-1823.

Praxis de uno tantum adhibendo patre, vel matre, pro omnibus confirmandis certo contra ius est, nisi habeatur indultum apostolicum, quod rarius conceditur. SO 18 Iunii 1884.

**51** *Ut quis valide sit pater oportet:*

- 1) Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus, et intentionem habeat id munus gerendi.
- 2) Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris, aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus.
- 3) Non sit pater, mater, coniux confirmandi.
- 4) A confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a paroco sit designatus.

- 5) Confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel procuratorem physice tangat. CIC 795 (1).

**52** *Ad liceitatem munus patrini requiritur:*

- 1) Sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur.
- 2) Sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur.
- 3) Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur.
- 4) Fidei rudimenta noverit.
- 5) Non sit propter notorium delictum excommunicatus, vel exclusus ab actibus legitimis, vel infamis infamia iuris, licet sententia minime intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti.
- 6) In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat, et expressa habeatur venia superioris saltem localis.
- 7) In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa ordinarii proprii licentia. CIC 796.

Unde superior religiosus permissum dare potest tantum si urgeat necessitas; ordinarius loci vero permissum dare potest clericis etiamsi non urgeat necessitas; in uno et alio casu expressum sit oportet, nec sufficit permissum praesumptum.

**53** Optandum ut ex vetusto Ecclesiae more patrini ubique adhibeantur, qui confirmatos suos cognoscant, nam "confirmatum inter et patrinum cognatio spiritualis oritur, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum

(1) Consuetudo invitandi ad munus patrini obeundum personam absentem quae officium suum implicite vel explicite accepit, et adhibendi aliam ad eam in actu (baptismatis vel) confirmationis repraesentandam, quae non sit expressa delegatione patrini munita ut munus procuratoris exercere possit, reprobanda est.

1) Quia indubitanter constare debet patrinum in facie Ecclesiae proprium munus suscepisse, quod per dictam consuetudinem manet incertum et aequivocum;

2) Quia patrinus suum munus suscipere debet cum plena notitia et conscientia inde exorientis obligationis, ad mentem canonis 769, quo excludi videtur praefata consuetudo, quippe quae patrini officium ad quemdam inanem ritum redigit;

3) Quia ex tali recepto more facultas fere demetur parochis conditiones explorandi, quae a canonibus 765 et 766 requiruntur, ut quis valide et licite munus suscipiat. SCS instructio diei 25 Nov. 1925, licet de patrinis baptismatis agat, valet etiam pro patrinis confirmationis iuxta canonem 795, n. 5<sup>o</sup>, et canonem 797, nam inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis oritur, quae nullo modo incerta et aequivoca esse potest. AAS 1926, p. 43.

perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi". CIC 797. Impedimentum matrimoniale tamen non amplius habetur. CIC 1079.

Iuxta Concilium Plenarium Quebecense I, n° 468, "deputari possunt duo procuratores, quocumque modo a patrinis acceptati, mas et femina, vices gerentes patrinorum et matrinarum singulis confirmandis assignatorum". Sed magis iuxta sensum Ecclesiae agunt patrini qui per seipsos confirmandos praesentant.

Episcopus confirmans qui munere patrini fungitur, id per procuratorem suum facere debet. D 3305, III.

Ius hodiernum Ecclesiae circa sacramentum confirmationis administrandum, tum ab episcopo tum a simplici sacerdote, compendiose invenitur in instructione SCS, die festo Pentecostes 1934 data. AAS 1935, p. 11 ss.

#### Caput IV

### DE SERVANDIS ANTE ET POST CONFIRMATIONEM

**54** Populus tempestive moneatur, iuxta locorum consuetudinem, de confirmatione proxime habenda.

Parochi, vel illi ad quos pertinet, fideles de dignitate sacramenti confirmationis et de requisitis ad illud valide et fructuose recipiendum opportune instruent, iuxta Catechismum tridentinum, pars II, cap. III.

Ne fiat confusio tempore functionis, et praesertim ne indigni, non parati, iam confirmati, ad sacramentum accedant, oportet ut omnes confirmandi sibi comparent schedulam proprii vel loci parochi, cum nomine confirmandi caeremoniario in actu administrationis tradendam.

Schedulae numerentur, ad normam libri confirmandorum paroeciae, et post confirmationem conferantur.

In libro confirmandorum paroeciae, duplici exemplari conficiendo (CIC 470 § 3), adnotari debet (praeter nomina confirmati, parentum, patrini, ministrorum) dies, locus confirmationis, et ecclesia baptismi cum aetate confirmati, ut facile observari possit canon 470 § 2, de confirmatione in libro baptizatorum adnotanda. CIC 798.

Si proprius confirmati parochus praesens non fuit, de conlata confirmatione minister (episcopus) vel per se ipsum, vel per alium, quam primum eundem certiore faciat, ut annotari possit.

Praeter nomen baptismi, licebit episcopo aliud nomen dare confirmando, praesertim si nomen in baptismo conlatum non sit christianum. D 2404. VII. Nomen tempestive dari debet parochi ut apponatur schedulae.



## TITULUS II

### DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS SOLEMNITER CONFERENDO UNI VEL PLURIBUS

#### Caput I

#### CLERUS INSERVIENS ET REGULAE SERVANDAE

#### 55 ADERUNT

Pontifex administrans.

Capellani assistentes duo.

Caeremoniarius.

Ministri quatuor pro mitra, baculo, libro et scotula.

Clerici ad abacum duo.

Crucifer, si confirmat metropolita.

EPISCOPUS in publica et solempni administratione sacramenti confirmationis utetur pluviali, mitra, et baculo, etiamsi non sit loci ordinarius.

CAPELLANI DUO induent superpelliceum, etiamsi sint canonici in sua dioecesi seu praelati, et, si confirmatio fiat publice a loci ordinario in ecclesia cathedrali, canonici sunt. D 2471, IX.

¶ Si candelae sint offerendae aderit clericus alter vel sacrista cum canistro ad illas recipiendas.

#### Caput II

#### DE PRAEPARANDIS

COLOR: albus

56 ALTARE ornabitur pallio <sup>(1)</sup> et sex accendentur cerei, vel saltem quatuor. Si ibidem aderit Sacramentum et multi sint confirmandi, ad aliud altare removendum erit.

(1) Color in administratione confirmationis adhibendus est albus; sed confirmatio est ritus per accidens occurrens, et vestes altaris a missa et officio determinantur; proinde dicimus altare ornari debere antependio coloris temporis seu officii, quod servari debet in casu quo confirmatio ministretur in hebdomade Pentecostes. Non prohibetur tamen mutatio coloris officii pro confirmatione, tantum praesertim si solemnius conferenda est et independenter a missa; si vero confirmatio fiat ad altare minus, color erit semper albus.

SUPER ALTARI PRO EPISCOPO: Pluviale cum stola; amictus; formale si praesul sit loci ordinarius; quae velo cooperiuntur; mitra simplex ad latus evangelii; baculus pastoralis ad latus epistolae appositus.

SUPER ABACO alba tobalea cooperto:

Ritus confirmationis in folio seu in 4<sup>o</sup>.

Scotula cum candela.

Vasculum sancti chrismatis in lance.

Gossipium in lance.

Vas ad gossipium reponendum post usum.

Vela duo pro mitra et baculo.

Gremiale lineum.

Urceus cum aqua et pelvi.

Citreum in lance.

Manutergium in lance.

IN MEDIO ANTE GRADUS ALTARIS: Faldistorium sua veste coopertum, cum pulvinari.

AD ALTARE SSMI. SACRAMENTI: Genuflexorium paratum in usum episcopi.

IN SACRARIO:

Superpellicea pro inservientibus.

Vas aquae lustralis cum aspersionario.

¶ Si celebrans sit metropolita, parabitur, a latere evangelii, crux eius, et basis pro ea.

¶ Si mos est candelas episcopo offerendi, aderit canistrum ad illas reponendas.

¶ Si multi sint confirmandi, faldistorium locari poterit in plano, prope introitum presbyterii, super parvo strato unius palmi ad maiorem commoditatem.

¶ Si numerus confirmandorum sit ingens, statuentur scamna oblonga hinc inde a ianua ecclesiae ad introitum presbyterii, et spatium inter scamna in medio ecclesiae relinquatur liberum.

¶ Expedit uti vasculo sancti chrismatis a vasculo olei puerorum seiuncto, et non illo quod generatim inservit baptismo (cum duobus oleis in eadem lance), ne oriatur confusio, nam usus olei catechumenorum vel infirmorum secum fert nullitatem sacramenti. Vide partem III, p. 18, n<sup>o</sup> 2 et 3.

## Caput III

## RITUS CONFIRMATIONIS

## ART. I — PRAEPARATIO ET INVOCATIO

**57 Adventus episcopi** 1. Accensis candelis altaris, caeremoniarius cum rectore ecclesiae et cum primo acolytho, vasculum aquae benedictae ferente, expectabit episcopum ad ianuam ecclesiae si per eam intret.

Ministri insignium paulo ante adventum episcopi ad abacum se sistunt.

Pontifex, habitu praelatitio proprio indutus, cum ad ianuam ecclesiae pervenerit, accepto hyssopo a rectore, se ipsum tantum aspergit; deinde, cum caeremoniario et rectore ecclesiae retro post eum, ad altare ssmi. Sacramenti adit, ubi aliquantulum orat; pergit dein ad altare functionis, ubi, cum pervenerit, flexis genibus ante faldistorium, iterum orat; deinde surgit et sedet in faldistorio ante gradus altaris <sup>(1)</sup>.

Recedit rector, et capellani, facta genuflexione cruci altaris et reverentia episcopo, loca sua hinc inde a lateribus eius sumunt.

¶ Si episcopus sit loci ordinarius, accepto hyssopo cum osculis a rectore, seipsum aspergit, deinde adstantes, et reddit aspersionem. Si sit in ecclesia sua, recipietur a duobus canonicis assistentibus. D 2471, IX.

¶ Si episcopus sit metropolita, crucem suam ante se habebit cum ecclesiam intrat et ab ea recedit; tempore confirmationis crucifer crucem in sua basi declinabit.

**1. lotio manuum** 2. Pontifex crucem pectoralem et palliolum vel mantelium deponit, adiuvante familiari vel caeremoniario, et accipit biretum.

Clerici de abaco, vel familiares episcopi si aderint, ante pontificem se sistunt cum urceo et pelvi et cum manutergio in lance (flexis genibus si sit loci ordinarius) et pontifex manus lavat, primo capellano manutergium ministrante, et, ea finita, recedunt ministri lotionis <sup>(2)</sup>.

<sup>(1)</sup> Iuxta MM (vol. 4, p. 26) deberet pontifex, facta oratione super pulvinari ad altare ascendere, ibique manus lavare et indumenta accipere. Sed suppedaneum altaris non est locus vestitioni proprius, nec pro solemnioribus functionibus ad faldistorium; proinde facimus initium functionis in plano. Nec expedit thronum adhibere pro vestitione, etiamsi episcopus sit in propria ecclesia, quia functio haec non fit ad thronum sed ad faldistorium.

<sup>(2)</sup> Iuxta PR h. l. pontifex debet manus lavare antequam incipiat ritum confirmationis; sed iuxta regulam generalem (CE passim) pontifex manus lavat antequam sacras capiat vestes, quod revera rationabilius est. Sequimur MM LVH et regulam generalem.

**Vestitio episcopi** 3. Caeremoniarius vestes sacras episcopi clericis ministrantibus distribuit, videlicet duobus acolythis et ministris de libro et scotula, et vela humeris ministrorum de mitra et baculo imponit, qui insignia sua accipiunt.

Clerici ante pontificem accedunt, qui, deposito bireto, a 1<sup>o</sup> capellano adiuvante 2<sup>o</sup> sacras vestes accipit, deinde a 1<sup>o</sup> capellano induitur mitra, et sinistra accipit baculum.

Caeremoniarius ordinabit confirmandos in corona vel in lineis ante pontificem, cum suis patrinis vel matrinis, masculos ad dexteram et feminas ad sinistram. Si necesse sit, facit claudere ianuam ecclesiae vel saltem attentus erit ne confirmentur illi qui extensioni manuum non adfuerunt. CIC 789. Si multi sint confirmandi, suis remanent locis.

**Allocutio** 4. Pontifex, si voluerit, brevi sermone confirmandos alloquitur, naturam et effectus confirmationis explanans.

**Invocatio et extensio manuum** 5. Finita allocutione, vel si habita non fuit, confirmandis ante pontificem ordinatis, omnes, iunctis manibus ante pectus, flectunt genua cum patrinis vel matrinis (1).

Ministri de libro et scotula ante episcopum se sistunt, et capellanus primus mitram aufert, et assurgit praeses.


Pontifex, semper ad confirmandos versus, iunctis manibus cantat recto tono *Spiritus Sanctus*, etc. Deinde, signans se manu dextera a fronte ad pectus, canit *V. Adiutorium nostrum*, et alios qui sequuntur.

Pontifex, extensis manibus versus confirmandos (2), canit recto tono primam partem orationis *Omnipotens... qui regenerare*, inflexa voce ad finem

(1) In aliquibus locis mos est ut episcopus, sacris vestibus indutus, antequam ritum confirmationis incipiat, flexis genibus intonet hymnum *Veni, Creator*. Cantata prima stropha, surgit pontifex et cum eo omnes. Cum incipit inungere frontes confirmandorum, a schola, interposita mora, cantantur ceterae strophae, quae repetuntur, si necesse sit, prima et ultima exceptis, ne sine cantu prosequatur functio. Doxologia cantatur dum ultimi confirmantur. Liceret, consulto quidem, totum hymnum cantare ante primam orationem confirmationis.

(2) A nonnullis auctoribus, et ab ipso CIC, prima extensio manuum vocatur impositio (canon 789); sed non nisi improprio et extensivo modo ritus ille manuum impositio vocari potest, cum sit tantum extensio manuum, sicut a PR vocatur. In hac extensione manuum nulla datur positiva determinatio materiae vel subiecti, cum manus eodem modo super omnes praesentes extendantur. Error fortasse invecus fuit ex eo quod confirmatio fieri debet per impositionem manus, et auctores quidam non putabant sufficere impositionem quae unctionem concomitatur. Ipse Catalanus dicit *ad hanc manuum impositionem, sive extensionem, per orationem pontificis invocatum accipi Spiritum Sanctum, omnium una est Patrum sententia*. De confirmandis § XIII. Hodie tamen communis est sententia contraria, seu sacramentum traditur unctione cum chrismate et impositione manus, quae eodem momento fit. Si quis tardius advenerit et manuum extensioni non adstaret, ritus omissus deberet quam citissime suppleri, sed confirmatio non esset iteranda, nec sub conditione. SO 17-IV-1872; 22-III-1892.

# CONFIRMATIO



(A) — STRATUM (C) — CONFIRMANDUS (P) — PATRINUS

Deinde eodem tono, inflexa semper voce ad finem (fa-re) canit tres versus qui sequuntur, cantoribus vel clericis respondentibus *Amen*. Postea recto tono cantat ultimam partem eiusdem orationis *Adimple eos* usque ad finem. Dum pontifex canit orationem capellani oras pluvialis tenebunt.

¶ Oratio *Omnipotens... qui regenerare*, cum interpositis responsionibus, recitatur clara et intelligibili voce sine cantu, si sine cantu fiat confirmatio.

Finita oratione invocatoria, surgunt confirmandi et patrini, et sedet pontifex, qui a 1<sup>o</sup> capellano induitur mitra et accipit gremiale, quod faldistorio aptabitur, deinde accipit baculum.

Ministri de libro et scotula stabunt ad latus epistolae, facie ad latus evangelii versa, et qui de mitra et baculo ad latus evangelii, facie ad latus epistolae versa, vel, si multi sint confirmandi, ad abacum recedunt.

¶ Si unus tantum sit confirmandus, versus *Spiritus Sanctus* et oratio invocativa dicuntur singulari numero, quod etiam in oratione finali et benedictione servabitur.

## ART. II — CONFIRMATIO

### A) *Sedens ad faldistorium*

**58** Locus proprius pro faldistorio dum episcopus confirmat, si ad altare non aderit Sacramentum, est in medio suppedaneo altaris, sed hoc tantum possibile est quando pauci confirmantur; tunc faldistorium ad suppedaneum portabitur in fine vestitionis episcopi.

Si ad altare aderit ssmum. Sacramentum, vel si multi sint confirmandi, faldistorium locabitur in plano presbyterii ubi convenientius, iuxta ecclesiae dispositionem, ibique se vestit episcopus et fit confirmatio, et est casus hic expositus et communior.

Acolythus 1us se sistit a dextris primi capellani paulo ante eum, cum vasculo sancti chrismatis, et acolythus 2us a sinistris 2di capellani paulo ante eum, cum bombaceo in lance, super qua aderit etiam vas ad reponendum bombaceum post usum.

Confirmandi omnes surgunt, et, unus post alium, primo pueri et homines, deinde puellae et mulieres, ante pontificem se sistunt.

Patrinus schedulam caeremoniario tradit, qui nomen vel nomina confirmandi (baptismatis seu confirmationis tantum) pontifici declinat in forma nominativa seu vocativa.

Patrinus primi confirmandi (sine chirothecis), facta genuflexione, eum pontifici praesentat stans retro post eum a latere sinistro eius, apponens manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi genuflexi <sup>(1)</sup>.

Pontifex, intincto pollice dextero in sancto chrismate, et imposita manu dextera super caput confirmandi <sup>(2)</sup>, facit crucem unam cum pollice super frontem electi dicens, praemisso nomine eius:

*N. Signo te signo cru + cis et adiungit:*

*Et confirmo te chrismate salutis.*

Deinde, amota manu, benedicit ter confirmatum dicens:

*In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.*

Capellani submissa voce respondent *Amen*.

Deinde pontifex leviter eum in maxilla sinistra caedit dextera sua, dicens *Pax tecum*, quae omnia clara sed submissa voce dicit <sup>(3)</sup>.

Confirmatus annulum pontificis osculatur, surgit, et, facta cum suo patrino genuflexione cruci et episcopo simul, recedit passum unum versus dexteram suam ante capellanum 2um, qui unctionem abstergit gossipio <sup>(4)</sup>,

<sup>(1)</sup> Rubrica PR *Adulti ponant pedem suum super pedem dextrum patris sui antiquissima est, et ipse Carolus Borromaeus ita fieri debere edixit. AEM vol. II, col. 547 et 1292. Sed rubrica incommoda nonnulla praesefert, et contradicit sequenti rubricae quae facit confirmandos flexis genibus praesentari; rubrica de pede super pedem ponendo fideles stantes confirmari supponit. Usus multis ab hinc annis obsolevit et appositio manus dexterae patris super humerum dexterum confirmandi, uti legitima declarata fuit. D 2404, VI.*

<sup>(2)</sup> Rubrica appendicis PR a Benedicto XIII introducta, et rubrica novae editionis RR iubent episcopum manum dexteram capiti confirmandi apponere dum eum confirmat, ut clarius appareat ritus impositionis manus, qui, iuxta omnium sententiam, de essentia sacramenti est, licet stricte loquendo sufficiat impositio quae fit cum unctione. Vide EphLit, 1897, p. 646. Unctio in forma crucis, secundum communioem sententiam, essentialis est ad ipsum valorem sacramenti, secus irrita deventiret formula *Signo te signo crucis*.

<sup>(3)</sup> Alapa, cum concomitante salutatione *Pax tecum*, reliquiae sunt antiquioris usus dandi confirmato osculum pacis, prout christiani facere consueverant et vetustis monumentis liturgicis praecipitur. Videri est etiam similitudo non spernenda cum ritu creationis novi equitis, in qua episcopus illum gladio percutit. Enimvero sicut confirmatio complementum est vitae militis Christi, sic electio viri in equitem complementum erat vitae socialis civium, etenim huiusmodi decus in votis omnium erat. Vide Gregory Grabka OMC, *The Alapa in Confirmation* apud *American Ecclesiastical Review*, June 1946, p. 436-441.

<sup>(4)</sup> Usus ligandi frontem confirmati linea vitta, licet pervetustus, teste Catalano (PR h.l.), passim suo tempore non servabatur. Hodie consuetudo contraria, videlicet de fronte statim bombaceo abstergenda, fere ubique invaluit.

et ad locum suum redit, ubi exspectat stans. Accedit alius, et sic deinceps usque ad ultimum, et pro singulis fit similiter. Diagramma I.

¶ Si candelae sint offerendae, proceditur ut infra in fine n<sup>o</sup> 59 (1).

B) *Ambulans per ecclesiam*

59 Si multitudo confirmandorum id expostulet, pontifex per ecclesiam ambulans sacramentum ministrat. In quo casu disponentur scamna oblonga utrimque per ecclesiam, ut in capitulo II (n<sup>o</sup> 56) dictum est, et mares ponentur a latere dextero, feminae a latere sinistro ecclesiae.

Pontifex se vestit ad faldistorium ante gradus altaris seu prope introitum presbyterii, ubi omnia fiunt ut pro confirmatione ad faldistorium (n<sup>o</sup> 57), sed non apponitur gremiale super genua eius.

Confirmandi genua flectunt suis locis cum confirmantur, patrinis vel matrinis a sinistris eorum retro stantibus, qui, dum fit unctio, manum dexteram super humerum dexterum sui confirmandi apponunt.

Finite oratione *Adimple eos*, pontifex, accepta mitra et baculo, assurgit, et, medius inter suos capellanos, oras pluvialis tenentes, pergit ante primum confirmandum prope ianuam ecclesiae a latere dextero. Ante pontificem ibunt clerici de abaco cum sancto chrismate et bombaceo in lance, quos sequitur caeremoniarum magister.

Cum episcopus ante primum confirmandum pervenerit, clericus cum chrismate se sistit a dextris 1mi capellani, et clericus cum bombaceo ad sinistram 2di capellani. Caeremoniarius, accepta schedula confirmandi, nomen eius pontifici declinat, qui statim eum confirmat, ut in n<sup>o</sup> 58 habetur. Capellanus 2us unctionem abstergit; deinde proceditur ad 2um confirmandum, et sic deinceps usque ad ultimum, et pro singulis fit similiter.

Ad latus sinistrum pontifex procedit ab altari ad ianuam, seu versus dexteram suam ambulans.

¶ Si confirmat metropolita, crucifer se sistit versus dexteram eius dum pontifex per ecclesiam ambulat confirmans, vel, si locus sit exiguus, ad altare consistit.

(1) In nonnullis locis viget consuetudo offerendi aliquid episcopo tempore confirmationis. In Italia ab unoquoque confirmato solet offerri episcopo candela. In expositione nostra confirmati candelas suas pontifici tradunt, est enim donum pontifici factum, quod significationem perdit si candelae directe sacristae seu clerico traduntur ut docet MM. In Brasilia et alibi mos est offerre episcopo parvam pecuniam cum a parcho traditur schedula.



¶ Si pontifex non vult cum baculo confirmare, potest illum ministro proprio tradere, qui retro post ipsum se sistit tempore confirmationis.

¶ Si candelae sint offerendae, unusquisque confirmatus, accepta alapa, candelam suam pontifici tradit cum osculo manus eius tantum; pontifex candelam dat 1<sup>o</sup> capellano, qui eam, sine osculis accipiens, in canistrum a sacrista seu a clerico portatum reponit.

Omnibus confirmatis, pontifex, accepto baculo, si eum dimiserit, ordine quo venit, ad faldistorium redit et sedet.

## 60

## ART. III — RITUS FINALES

**2<sup>a</sup> lotio manuum** 1. Pontifex baculum ministro tradit, et, si stans confirmavit, accipit gremiale album.

Clerici de abaco, chrismate et bombaceo depositis, et acceptis urceo cum pelvi et manutergio in lance, vel familiares episcopi si aderint, ante episcopum se sistunt pro lotionem manuum.

Capellanus 2us in promptu habebit medullam panis vel citreum pro frictione manus episcopi ante lotionem; deinde, capellano 1<sup>o</sup> manutergium ministrante, pontifex tergit manus.

Dum pontifex manus lavat, schola cantabit antiphonam *Confirma hoc Deus, cum Gloria Patri* et repetitione antiphonae in fine. Ad *Gloria Patri* omnes caput inclinant, excepto pontifice cum suis capellanis et ministris lotionis, cum intenti sint lotioni.

Ministri lotionis recedunt et capellani gremiale lineum solvunt et auferunt

¶ Si functio fiat sine cantu, antiphona recitatur a capellanis pontificis post manuum lotionem, et ad *Gloria Patri* omnes caput inclinant; vel, si aderint alii clerici non inservientes lotioni, recitent ipsi antiphonam dum pontifex manus lavat.

**Oratio finalis** 2. Ministri de libro et scotula se sistunt retro post faldistorium tergo altari obverso. Pontifex, deposita mitra, assurgit, et, versus sinistram suam, ad altare se vertit.

Confirmati genua flectunt, et episcopus canit versum *Ostende nobis cum aliis qui sequuntur, et adiungit recto tono orationem Deus, qui apostolis tuis, ad confirmationem complendam.*

¶ Si confirmatio fiat in suppedaneo, capellani librum sustinebunt pro cantu huius orationis, et minister de candela se sistit a dextris 1mi capellani

**Benedictio finalis** 3. Dicta oratione, episcopus recto tono canit introductionem ad benedictionem *Ecce sic benedicetur* et ad dexteram suam se vertit. Capellanus eius mitram ei imponit et baculum tradit <sup>(1)</sup>.

Ministri de libro et scotula locum sumunt ante pontificem qui, ad confirmatos versus, canit recto tono benedictionem finalem dicens *Benedicat vos*, dextera confirmatos benedicens. Deinde sedet, ministri de libro et scotula recedunt et confirmati assurgunt.

¶ Si confirmet metropolita, crucifer pro hac benedictione non se sistit ante eum.

Confirmati una simul clara voce recitant *Credo, Pater Noster* et *Ave Maria*, nisi dispensentur ab episcopo.

Deinde pontifex, si velit, alloquetur confirmatos, et in fine dextera silentio eos benedicit quasi illos dimittens, et ipsi, facta cum suis patrinis genuflexione episcopo simul et cruci, recedunt.

¶ Si confirmatio fiat sine cantu, pontifex clara voce recitat orationem finalem cum suis versibus et benedictionem.

Caeremoniarum magister et ostiarii attentissimi erunt ne confirmati discedant antequam finalem benedictionem accipiant. CIC 789.

¶ Si confirmatio in suppedaneo facta est, post benedictionem, vel post exhortationem si habita fuit, surgit pontifex, et in planum descendit, ubi clerici de abaco faldistorium reponunt.

**Depositio vestium et discessus** 4. Pontifex, sedens ad faldistorium, sacras vestes deponit et accipit chorales; deinde flectit genua super pulvinar a caeremoniario ante faldistorium positum, omnibus genuflectentibus, et, facta oratione, surgit et discedit, ordine quo venit.

(1) Pro benedictione finali facimus episcopum baculum et mitram assumere, sunt enim correlativa, et baculus adhiberi debere legitur in appendice PR. Quod quidem confirmatur duabus rationibus a LVH datis : 1<sup>a</sup> Episcopus semper benedicit cooperto capite; 2<sup>a</sup> Benedictio haec omnino similis est illi quae habetur in fine ordinationis presbyteri, pro qua usus mitrae et baculi praecipitur. *Les Fonctions Pontificales*, ed. 3<sup>a</sup> vol. 2, p. 297. EL, 1897, p. 358 et 648.

## TITULUS III

### DE RITIBUS ALIQUANDO ADHIBENDIS

#### Caput I

#### DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS PRIVATIM CONFERENDO

**61** Solemnitas confirmationis non desumitur e numero tantum confirmandorum, sed etiam ex eius publicitate. Confirmatio generalis vel multorum fieri solemniter debet, ut, ipsa solemnitate ritus, dignitas sacramenti fidelibus appareat. Confirmatio etiam unius si publice fiat, fieri debet solemniter, nam eadem adest ratio; sed privata administratio confirmationis in oratorio episcopi vel in alio oratorio publico vel semipublico, uni vel pluribus, laudabiliter fit solemniter ut in titulo II habetur; potest tamen episcopus, iusta interveniente causa, privatim confirmare sine solemnitate, ut inferius habetur.

**62** ANTE MISSAM LECTAM. Pontifex ante suam missam lectam (quae non sit defunctorum) confirmare volens, se parat ad missam more solito usque ad casulam inclusive. Deinde ad suppedaneum altaris ascendit et in faldistorium, ibi positum, sedet.

Confirmandi flectunt genua in plano ante gradus altaris, et pontifex, capellanis librum ante eum tenentibus, vel adstantibus ministris de libro et scotula, recitat orationes quae confirmationem praecedunt.

Deinde sedet, acceptis mitra et baculo, et fideles more solito confirmat.

Postea pontifex, deposito baculo, lavat manus; capellani, finita lotione recitant antiphonam *Confirma hoc Deus*.

Deposita mitra, surgit pontifex, et, ad altare versus, dicit orationem finalem cum suis versibus, in cuius fine adiungit introductionem ad benedictionem *Ecce sic benedicetur*; deinde, ad dexteram se vertens, accipit mitram et baculum, et, versus ad confirmatos, illis benedicit.

Sedet pontifex et a confirmatis dicuntur *Credo, Pater Noster, et Ave Maria*, in cuius fine illis benedicens ad loca sua dimittit.

Pontifex in planum descendit, et, amoto faldistorio, incipit missam de more, intra quam confirmati laudabiliter Sacra Eucharistia reficientur.

**63** POST MISSAM LECTAM. Si confirmatio fiat post missam lectam (non tamen pro defunctis), finito ultimo evangelio, faldistorium in suppedaneo altaris ponitur, ibi sedet pontifex et manipulum deponit. Proceditur ad confirmationem ut ante missam.

Finita confirmatione, amovetur faldistorium, et pontifex in planum descendit, ubi, more solito, stans sacras deponit vestes.

**64** SINE MISSA. Pontifex privatim in suo sacello vel alibi confirmare volens, habeat stolam circa collum et assistentiam duorum capellanorum, qui librum ante eum tenent, sanctum chrisma et lotionem ministrant.

Pontifex non utitur baculo, sed uti poterit mitra cum facit unctionem et dat finalem benedictionem. Vide notas 2, p. 23 et 2, p. 25.

Ad altare accendentur candelae duae vel quatuor.

**65** IN ALIENA DIOECESI pontifex subditos suos privatim confirmare volens, id facit ut supra, ante vel post missam vel sine missa, sed ab usu mitrae et baculi abstinebit. CIC 783 § 2.

## Caput II

### DE CONFIRMATIONE A PRAELATIS INFERIORIBUS CONFERENDA

**66** Abbas vel praelatus nullius, vicarij vel praefecti apostolici, intra limites sui territorij, vel, de speciali permissu Sanctae Sedis, abbas de regimine vel apostolicus administrator, intra ecclesiam suam vel suum territorium, confirmationis sacramentum administraturi, id facient solemniter, si solemniter fieri debet, vel expediat, ut in titulo II exponitur. Qui omnes, tum abbates benedicti, tum ceteri locorum ordinarii, quibus a iure privilegia protonotariorum de numero conceduntur, utentur faldistorio et mitra auri-phrygiata, excluso tamen baculo, nisi sint abbates benedicti in suo territorio.

Protonotarii ad instar, de speciali indulto apostolico, confirmationem solemniter administrantes, habitu praelatitio induti, procedunt ut in titulo II, sed sedent ad scabellum loco faldistorij; et utentur mitra alba serica simplici <sup>(1)</sup>.

<sup>(1)</sup> Verum est in motu proprio Pii X non concedi protonotariis ad instar usum mitrae quando confirmant, sed quia hoc non supponitur; sed conceditur usus mitrae pro functionibus minoris momenti uti benedictione cum Venerabili vel processione (n. 48); proinde dicimus protonotarium *debere uti* mitra quando, de indulto apostolico,

Protonotarii omnes mitram adhibent tantum in confirmatione solemniter conferenda cum pluviali, et non cum eam privatim administrant, quia mitra ratione solemnitatis conceditur; praeterea privatim confirmantes stabunt semper. Vide prolegomena, n<sup>o</sup> 39 ss.

Simplex sacerdos, ex apostolico indulto confirmans, agat more sacerdotali, ut in tit. III, cap. II et III RR habetur, et stans confirmat. Collectanea SCFP om. I, n<sup>o</sup> 502, 23-IV-1774; n<sup>o</sup> 503, 4-V-1774.

sacramentum confirmationis, qui ritus proprie est pontificalis, solemniter administrat. Quod quidem confirmatur recentissima instructione SCS 1, 2, opportune citanda: "...non semel accidit ut... Sancta Sedes quodammodo compellatur etiam ad simplicem sacerdotem deputandum, tamquam sacramenti confirmationis extraordinarium ministrum... Hisce tamen casibus, admodum singularibus, semper fuit Ecclesiae mens et sedula cura, ut hic veluti suffectus ordinario confirmationis administer, quatenus fieri posset, in aliqua esset ecclesiastica dignitate constitutus, atque in proprio territorio dioecesis, ita ut v. g., usu pontificalium frueretur, ceterisque honorificis gauderet privilegiis atque insignibus, quae competere solent protonotariis apostolicis". AAS 1935, p. 13. Unde verba apostolicis indultis apposita *in aliqua ecclesiastica dignitate constituti*, in primis intelligenda sunt de protonotariis apostolicis supranumerariis vel ad instar.